[illegible]: Quaestio de unitate et aeternitate mundi.

QVÆSTIO
DE
VNITATE & AETERNITATE MVNDI.

A

M. STANISLAO ROZYCKI, Contubernij Hierosolimitani Seniore; publicè ad disputandum in Alma Academia Crac. PROPOSITA.

In Lectorio DD. Theologorum, Anno D. 1629. Die Mensis Mart. Hora

Permissu Magnifici D. RECTORIS



CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.

l. l.

IN STEMMA.

Antiquissimę Domus ZEBRZYDOVIORUM.



Hoc signo fuerat victus Maxentius atrox,
Hoc signo Patriam vincere crediderim.

Samuel Bukowinski, Studiosus
Almæ Acad. Crac.



Illustri & Magnifico Domino,

DOMINO GASPARI IN WIECZBORG ZEBRZYDOWSKI, Castellano Calisiensi, &c. &c. Domino & Patrono colendissimo,

M. STANISLAVS ROZYCKI, S. & F.



FFERO tibi Illustrissime Dñe Quæstionem, inter antiquos Philosophos celeberrimam: nostris fortè temporibus difficultate magis quam vtilitate commẽdatam. Nodus hic erat Gordius, quem collecta ex toto orbe Philosophia non poterat soluisse; In hoc velut labyrintho errauit Pythagoras, implicatus Socrates, nihil se scire dixit: & qui omnia scire voluit tanquam in Euripo mersus Aristoteles. Fælices nos quibus iste error sepultus: nec maioris nunc momenti de mundi æternitate quam de fumo disputare: nobilissima verò antiquorum in tanta difficultate argumenta, & summum in Philosophando Aristotelem audire, haud paruum operæprecium iudicabit quisquis Philosophiam in amoribus habuerit. Vt enim in pulcherrimis Dianæ, Veneris, & aliarum fabularum imaginibus, Apellis ingenium laudatur, irridetur superstitio: ita æternitatem mundi inter fabulas aniles & nugas pueriles reÿcimus: pulcherrima ingenia amamus & subtilissimas ratio-

 nes,

nes, velut gemmas colligimus. Neq; mihi alia mens fuit: id unicum in hac quæstione volui: disputantem de æternitate mundi Aristotelem introducere: & magnum hunc Philosophum mirari: tam elegantem formam in luto effingentem. Cui verò hoc, quicquid est laboris mei libentius offerem? quàm Tibi magno Senatori, magno parentis mei Patrono. Aristarchos omnia perperam interpretantes metuebam: ad Tuum nomẽ, non aliter atq; ad Statuam Principis confugi: multa Tibi & meo & Parentis mei nomine debebam: quo alio grati animi significationem contestarer, non inueni. Et tametsi donum hoc exiguum viderem, non despondebam animum; cogitando Domum Tuam literis amicissimam semper fuisse. Loquuntur nostræ Historiæ Andream ZEBRZYDOVIUM, *Cracouiensem Episcopum, diuinum in dicendo virum; qui procacissimum os Hæreticorum, in Senatu Polono compressit: & silentibus cæteris, Sacerdotij maiestatem, aureâ oratione defendit. Siluissem Florianum Generalem Exercituum Regni Ducem: nisi nobilis illa ad Neuellum ex Moschis victoria, argumento mihi fuisset: tanti imperatoris prudentiam, aut optimis literis informatam, aut diuinitus fuisse instructam. Viuit etiam nunc & æternum viuet in animis hominum vel Nicolaus Cracouiensis Palatinus, vel Andreas, Castellanus Sremensis Pater Tuus: magnum vterq; æui nostri decus: illa lumina Reipublicæ, literarum delitiæ. Quorum Tu exempla imitatus amplissime Senator, munus hoc literarium, humanissimo vultu excipies, &* ROZYCIVM *tuum amabis.*

Dat: è Cont. Hier. Anno D. 1629. Die 24. Martij.

QVAESTIO.

V. Mundus, qui pro complexu cælorum elementorum & elementatorũ accipitur, ſit tantùm vnus: & ex ſententia Ariſtotelis æternus: vel per abſolutam Dei potentiam, potuerit fieri ab æterno: necne?

CONCLVSIO I.

Mundus pro complexu cælorum, elemẽtorum & elementatorum acceptus, tantummodo vnus eſt.

COROLLARIA.

1. Somniauit Democritus, cum plures mundos ex fortuito atomorum concurſu ſtatuebat: volebatque diſſolutis atomis mundum quoque diſſolui: & iterum coeuntibus, componi.

2. Non multum à superiori recessisse videntur, qui relictis atomis futurum dicunt, vt Deus alium mundum, hoc corrupto sit creaturus.

3. Qui mundum intra mundum collocant, & ita plures mundos vount, vt noster hic mundus ab altero, velut vinum à dolio contineatur, non sunt ab errore alieni.

4. Nec audiendus Xenophones, magis fabuloso; quàm Philosophico cõmento, aliam terram, aliud mare, & alium velut mundũ in luna statuens.

5. Illi quoq; in via Peripatetica non tollerandi: qui concludunt, duos mundos, veluti duos globos distinctos, vnum ad meridiem, alterum ad septemtrionem &c.

6. Non propter defectum Materiæ, sed ob alias grauiores & veriores causas, vnum tantum mundum esse, nec plures dari posse tenendum est.

Conclusio II.

Ex sententia Aristotelis mundus est ætern⁹.

COROLLARIA.

1. Corpora cælestia & principes mundi partes authore Aristotele sunt ab æterno.

a

2. *Etiam motus ex mente eiusdem Philosophi æternus est: imò quicunq; statuit æternitatem motus, eadem opera statuit æternitatem mundi: & è contra.*

3. *Tempus cum sit mensura motus, æternum quoq; est, ex sententia Aristotelis.*

4 *Generatio & corruptio rerũ, in Lyceo Aristotelis æterna est, & velut circulus, principio & fine carens.*

5. *Tametsi sciuißet Aristoteles (quod probabile videtur) Deum eße causam efficientem mundi, conclusißet nihilominùs mundũ æternum.*

6. *Non impedit æternitatem mundi infinitas animarum: imò rectè hæc apud Aristotelem poße conciliari tenemus: vt stet mundi æternitas, stet quoque animæ humanæ immortalitas.*

Conclusio III.

Per absolutam Dei potẽtiam, mundus poterat ab æterno fieri.

COROLLARIA.

1. *Non tantum substantiæ incorruptibiles*

vt

vt Angeli & cœli, sed etiam substantiæ corruptibiles, vt hæc inferiora poterant fieri ab æterno.

2. *Nec motus nec temporis infinitas, impedit possibilem fuisse æternitatem mundi.*

3. *An motu recto poterat aliquid ab æterno moueri problemma sit.*

4. *Substantiam corruptibilem in particulari ab æterno: fieri potuisse, non implicat.*

5. *Quemadmodum alia animantia, ita & homines poterant ab æterno generari.*

6. *Si mundus ex hypotesi conclusionis fuisset ab æterno non necessum esset monstrosam generationem constituere: quam nonnulli confingunt: videlicet, duos leones, vel equos &c. procreari, suppeditariq; eis alimentũ, vt infinities generarẽt.*

Sub fælicibus auspicijs Admod. Rñdi & Magnifici Dñi D. DANIELIS SIGONII S. T. D. & Professoris, Canonici Cracouień. Academiæ nostræ RECTORIS vigilantissimi.



